

8.43.11

*Idem AA. et CC. Capitolinae.*

Cum maritum tuum a debitoribus tuis minoris viginti et quinque annis constitutae velut ex causa tibi debiti aliquas accepisse quantitates nec tamen te consensum commodasse significes, nullum tibi potuit praetudicium fieri, nisi factam solutionem post maiorem aetatem ratam feceris.

*S. V k. Mai. Heracliae AA. concess.*

[a. 293]

8.43.12

*Idem AA. et CC. Eutycho.*

Invito vel ignorante creditore qui solvit alii, non se liberat obligatione. Quod si hoc vel mandante vel ratum habente eo fecerit, non minus liberationem consequitur, quam si eidem, creditori solvisset.

*S. III id. Mai. AA. concess.*

[a. 293]

8.43.13

*Idem AA. et CC. Philotimo.*

Si obligatum ex causa mandati non per stipulationem facta novatione, post acceptilatione liberasti, sed tantum receptam ex eadem causa debitam quantitatatem falso scripsisti, figmento veritatis extingui non potuit obligatio.

*S. VII k. Iun. AA. concess.*

[a. 293]

8.43.14

*Idem AA. et CC. Cutae.*

Pecuniae solatae professio collata instrumento maiorem gestae rei probationem continet, quam si chirographum acceptae mutuae pecuniae fuisset redditum.

*S. V id. Iul. AA. concess.*

[a. 293]

8.43.15

*Idem AA. et CC. Quartioni.*

Quod debitori tuo chirographum redditum contra voluntatem tuam adseveres, nihil de iure tuo deminutum est. quibuscumque itaque argumentis iure proditis hanc obligationem tibi probanti eum per huiusmodi factum liberationem minime consecutum iudex ad solutionem iure debiti compellet.

*S. V k. Sept. AA. concess.*

[a. 293]